



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

De eisdem, Sermo XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

salutē? cui totū restat ad pœnā? cui & signa proficiunt ad ruinā? Sed accipe respōsū, vt te intelligas, & subiiciaris auctori. *Non in solo pane viuit homo. sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Audi patris verbū, verba salutis nostræ esurire, nō panē, & agere vt homo sēper viuat cœlesti verbo, terreno pane nō sēper: ac si Deo viuat, vt sui nescius sit laboris: quia verē illa vita est, quæ sudorē nescit, dolores nō habet, non habet finē.

De eisdem, Sermo XI I.

Quoniam ieiunij verum, & tempus bellorum spiritualium cernimus aduenisse: sicut Christi milites, deposito corporis, animęquæ torpore, virtutū procedamus ad campum: vt membra quæ sunt nobis hyemali ocio mollita, exercitio cœlestium roborentur armorum: dedimus corpori annum, demus animæ dies: impēdimus nobis tempora, tempus deputemus auctori: viuamus Deo paululum, qui sæculo viximus totum: seponamus domesticas curas, Ecclesiæ maneamus in castris, vigilemus in acie Christi, summum cubilium non quæramus, iungamur fortibus, ab amplexibus separemur mollibus, amor nos teneat triumphorum, paruulorum non auocent blandimenta, auribus nostris insonet vox diuina, familiaris strepitus nostrum non confundat auditum, cibus parcus de cœlesti sumatur annona, terreni luxus copiæ non quærantur, in poculis sobrietatis mensura seruetur, vires ebrietas non eneruet. De stipendiis quicquid exuberat, commilito pauper assumat: pestilens effusio nil perdat, in conflictu habebis auxilium, esurientem faucium quem cibabis. Sic muniti fratres, instituti sic, indicemus bella peccatis: statuamus criminibus pugnam. cōflictum viciis nunciemus. securi de victoria: quia nec arma cœlestia hostes poterunt superare

C 4

terreni

terreni, nec diuino regi aduersa poterunt contraire mundana: nec in procinctu fidei constitutos praeuenire poterit inimica subuersio: neque cautos, vigilantes, sobrios, diabolus perturbare suis superuentionibus praeualebit: certè neque nos taliter armatos publico conflictu prouocare audebit: dolis appetere non praesumet. Animus in caelesti specula perseueret: diaboli fraudulètas & occultas deprimat, & declinet insidias. Est quidem diabolus per se nequam: fit tamè

i. Pet. 5. nequior prouocatus. Audi Apostolum dicentem: Diabolus sicut leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Ieiunantibus nobis, diabolus esurit, qui nostris semper saturatur ex culpis. Ille cibum nostrum deducit in crapulam: potum nostrum in ebrietatè diffundit: ut mentè faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domiciliū, animæ vas, murum spiritus, virtutū scholā, Dei templū, in scenā criminū, in vitiorū pompam, voluptatè redigat in theatrū. Capit ille satietatem, voluptatem percipit: expletur epulis: quādo nos luxus soluit, libido stimulat, pompa rapit, impellit ambitio, vrget ira, furor implet, succendit inuidia, cupiditas inflammat, curæ sollicitant, lites vexant, lucra capiunt, vsuræ vinciunt, chirographa ligant, premunt sacculi, elidit aurū. Quando moriuntur virtus, viuunt vitia, voluptas effluit, honestas perit, misericordia deficit, abundat auaritia, regnat confusio, succumbit ordo, prosternitur disciplina. Ista militant aduersum militè Christi: istæ sunt satanæ cohortes, istæ diaboli legiones, ista sunt quæ mundum sepulchris obsederunt, debellauerunt populos, vastarunt gentes, orbem totum duxere captiuum. Ista sunt quibus nullus per se potuit obuiare mortalis: & ideo ad vincenda ista Deus venit ipse: cœli rex ipse descendit: ipse victor singularis aduenit, ieiuniū quadragessimæ

gesimæ statuēs in procinctu: vt quaterna decade ieiunij quadraturā mundi totam muro inexpugnabili cōmuniret. Ieiuniū fratres, scimus esse Dei arcē, Christi castra, murum spiritus, vexillū fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc Adam seruauit in paradiso: quem inde detraxit gula. Hoc in arca custodiuit Noe, mundum ebrietas cum demetit. Per hoc Loth Sodomiticum restinxit incēdium: qui per ebrietatem incesti est adustus incendio. Hoc Mosen diuini feruoris fecit lumine perducere, quando comessatio & ebrietas Israeliticum populum simulachrorum tenebrauit erroribus. Hoc Eliam peruexit ad cœlū: quando Achab impium ebrietas ad inferna deiecit. Hoc Ioannem in natis mulierum fecit esse maiorem, quando temulentia Herodem principē imperio mulierum reddidit homicidam. Quadragesimæ ieiunium fratres verustas diaboli prodidit, & patefecit insidias. Diabolus namque qui manducantem contēpserat Christū, bibentem velut hominem computarat: vbi ieiunantem vidit, suspicatur Deum, Dei filium confiteretur. *Si filius Dei es, inquit, dic vt lapides isti panes fiant.* Si dicendo, diabolus hominem vult monstrare: non Deum: non cibum parare vult, sed vult amputare ieiunium. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Post ieiunium, partem non diuina virtus, sed infirmitas humana disquirit, nec sic laceffit fame Deus, vt ad prouidendum sibi cibum, quod est suæ potestatis, addicat. Ex sequentibus itaque diabolus aperit quid conetur, *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Satis hominem probare vult, cui non assensum prouidit, sed ruinam: humana conditio ad ascēsum difficilis, facilis inuenitur ad lapsum. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Erras diabole: nec tentare nosti: cadere non potest Deus. *Tunc ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei.*

Gen. 3.

Gen. 7.

Gen. 19.

Exod. 32.

4. Reg. 2.

Marc. 6.

Matt. 4.

Hæc

Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. O ausus diaboli, Deo dicit, adora me: sed sensit mox virtutibus Deum, pœnis iudicē, supplicem præmiis quem quærebat: nam Christi nomine, nomine ieiunantis cœpit ab obsessis corporibus effugari, & dare tremens illi gloriam, cui superbus callidè irrogarat iniurias: ieiuniis vicit, vt nobis vincendi vires, vincendi formam taliter largiretur. Hoc, ait, genus non eiicitur, nisi in ieiunio & oratione. Ieiunemus ergo fratres si volumus imitari Christum, si volumus fraudulentas diaboli superare versutias.

De eisdem, Sermo XIII.

ECce tempus quo miles procedit ad campum, recurrit ad Dei ieiunia Christianus. Ecce tēpus quo carnis ocia, quo mentis ignauia, quo ventris cura, & rota est familiaris obsequij deponenda torpedo. Ecce tempus quo in armorum cœlestium meditatione, animæ & corporis exercendæ sunt vires. Ecce tempus quo residente Christo, astantibus angelis, nostra luctaminis exercenda est fortitudo. Nunc est tempus quo gula cum ieiunio, abstinentia cum crapula, cum luxuria castitas, cum perfidia fides, pietas cum impietate, patientia cum furore, cupiditas cum liberalitate, misericordia cum auaritia, humilitas cum superbia, sanctitas cum reatu, Christo remunerante confligit. Si quis ergo spectate Deo, cœlesti resonante iam tuba, angelico insistente occurso, cubiculi irretitus illecebris, eneruatus molliæ plumarum, resolutus in totū ingalibus blandimentis, ad exercitium virtutis venire neglexerit: perdit luctaminis præmium, virtutis gloriam, certaminis palmam, iustitiæ coronam: desertoris etiam crimine mulctabitur in futurum. Hodie fratres Christus rex noster commilitones suos de Evangelico